

turbæ dicuntur *videre mutos loquentes* (1), vox *videre* appellat quidem formaliter; sed terminus *loquentes* materialiter dumtaxat appellat *mutos*.

2. Regula 2.^a Quando bini termini concurrunt, formas oppositas significantes, generatim appellatio est materialis, si propositio veritatem habeat.

3. Regula 3.^a Quando ex parte subjecti propositionis reperitur reduplicatio his aut similibus particulis expressa: *ut, prout, in quantum, quatenus, secundum quod*; prædicatum appellat formaliter subjectum: quemadmodum communissime docent auctores. Talis est hæc appellatio: *Petrus, quatenus musicus, est bonus*; nimirum si revera calleat musicam.

Verum est, quod Angelicus Doctor (2) «ambiguum sensum agnoscit in his enuntiatis: *Christus, secundum quod homo est creatura; Christus, secundum quod homo, est Deus*, eo quod terminus *homo*, etsi reduplicatus, potest accipi vel pro supposito vel pro natura; seu quod eodem recidit vel pro materiali vel pro formali significato. Cæterum ipse D. Thomas simul docet terminum *homo* vi reduplicationis accipi *magis proprie* pro natura; ideoque ex iis enuntiatis primum magis concedendum esse, quam negandum; secundum vero magis negandum quam concedendum» (3).

4. Regula 4.^a «Quando duo termini capaces apellationis formalis ponuntur ex parte ejusdem extremi, alter alterum afficit formaliter; ex. gr. *Petrus est bonus musicus; Miles veteranus pugnat*. Sed advertite sæpe adjectivum, grammaticæ locatum ex parte subjecti, rationis ordine pertinere ad prædicatum v. g. *miles quidem hic bonus est musicus, at non bonus est pugnator*»

5. Reg. 5.^a «Substantivum vel adjectivum ex parte subjecti positum, cujus formale significatum est ratio, fundamentum aut radix prædicati, formaliter afficitur a prædicato, v. g. *homo justus est hæres cæli; bos cornupeta est vitandus*. Contra, si dicatur; *bos cornupeta est pinguis*, prædicatum non afficit formaliter terminum *cornupeta*, ob rationem con-

(1) Matt., c. 15. v. 31.

(2) 3 p. q. 16, art. 10 et 11.

(3) Lossada loc. cit. n. 11.

trariam. Quod si prædicatum indifferens sit, ut conveniat subjecto ratione formæ vel aliunde, dubia est appellatio, debetque prævia distinctione determinari.»

«Notandum hic ex D. Thoma (1) quod nomina numeralia primæ speciei, ut *duo, tria* etc. adjectivis addita, numerant seu multiplicant sola subjecta, et quasi materialiter appellant: v. g. *Existunt tres albi*: quæ propositio vera esset, quamvis eadem numero albedo in tribus hominibus existeret. Addita vero substantivis, appellant quasi formaliter, quia principaliter multiplicant seu numerant formas. Idcirco in divina Trinitate non sunt *tres* Dii, quia deitas est unica, licet sint tria supposita seu tres personæ» (2).

§ II.—DE STATU.

64. Status est acceptio termini pro tempore significato per verbum propositionis. V. g. *Petrus peccat* accipitur in *statu*, si nunc peccat. Status quid.

Vocatur autem hæc proprietas *status*, quia si terminus accipitur pro tempore importato per verbum, significatum vocis bene in reipsa *stat* seu coheret cum tempore per verbum expresso.

§ III.—DE AMPLIATIONE AC RESTRICTIONE.

65. *Ampliatio*, quam alii etiam vocant *distraktionem*; proprietas est statui opposita, ac describitur acceptio termini pro tempore diverso ab importato per verbum. Sic si quis dicat: *Justus peccat mortaliter*, terminus *justus*, ut vera sit propositio, intelligendus est per *ampliationem* pro tempore præterito, ut sensus sit: *ille qui justus erat, peccat mortaliter*. Neque enim justitia stare simul potest cum peccato. Sic per *ampliationem* loquitur Evangelista cum scribit: *Cæci vident, claudi ambulat, surdi audiunt*. (3).

Est etiam alia *ampliatio* restrictioni opposita, quam jam declaramus.

(1) 1 p. q. 39, a. 3 corp.; 3 p. q. 3, a 7. ad 2.^{um}

(2) Lossada loc. cit., n. 11 seqq. Cfr. superius dicta de concretis terminis n. 30.

(3) Matt. cap. 11. v. 5.

Quid
Ampliatio,

Restrictio.

66. *Restrictio* enim est contractio termini a latiori ad angustiorē acceptionem. V. g. *homo justus est filius Dei atque hæres cæli*: quo in exemplo terminus *homo* non sumitur in tota sua extensione, sed ad justos tantummodo coerctur. Quatuor modis fieri restrictio potest: a) per adjectam orationem relativi, ut *homo quem heri vidisti*....: ß) per appositum adjectivum nomen, ut *homo fortis non pavet ad bostium incursus*: γ) per casum obliquum: v. g. *Filius Philippi*, maximam terræ partem imperio suo subjugavit: δ) per appositionem alterius substantivi nominis, ut *Apostolus Paulus* Romam venit.

quot
modis fieri
possit.

Modi recte argumentandi a restrictione satis cuique patent, viderique possunt apud Lossada (1) et alios.

Ampliatio ergo quæ restrictioni opponitur, est acceptio termini in largiori significatione; velut si Deum appelles *rationalem*. Cum enim *rationalis* in sensu vocis proprio et restricto idem sonet ac *discursivum*, de Deo prædicari nequit nisi per ampliationem vox illa capiatur ad exprimendam generatim intellectionem (2).

§ IV.—DE ALIENATIONE, DIMINUTIONE AC REMOTIONE.

Quid
Alienatio,

67. *Alienatio* est distractio termini a propria in alienam significationem. V. g. *Equus marmoreus venditur a Petro* *Vidi hominem* PICTUM.

diminutio,

68. *Diminutio* est usus termini ad significandam rem non absolute, sed secundum quid, id est ad significandam rem secundum partem dumtaxat: ut si dicatur: *Aethiops est albus quoad dentes*.

Reduci potest facile ad restrictionem, quemadmodum notat P. Dominicus Sotus (3); non enim differre aliter videtur, nisi quod restrictio est contractio termini secundum extensionem, diminutio autem potius secundum comprehensionem (4).

69. *Remotio* demum est avocatio termini a significatione realis entis ad significationem entis impossibilis et chimerici,

(1) Loc. cit. n. 9.

(2) Vide P. Sylv. Mauri, *Summulæ*, cap. 28.(3) Lib. 2. *Summul.* cap. 13, lect. 3, *Notab.* 8.(4) Fuscæ de his P. Fonseca, lib. 8. *Instit. dialecticar.*, et Lossada *Summul.* disp. 5, cap. 4.

v. g. *homo irrationalis scientias addiscit*. Cum porro subjecto apponitur terminus ejusmodi, ut nihil reale jam significare possit, conficitur propositio de subjecto non supponente (1).

Cavendum est ergo in disputatione ne termini iidem in eadem argumentatione secundum diversam proprietatem accipiantur. Leges bonæ consequentiæ in singulis hisce proprietatibus videri possunt apud auctores antiquos.

CAPUT V.

DE MEDIIS, QUIBUS DIALECTICA

primam mentis operationem dirigit.

70. Quamquam diximus initio, Logicam vocari quoque *Modum sciendi* pressiori tamen magisque propria acceptione *Modus sciendi* est oratio, quæ ignotum ex notis manifestat: ac dividitur in *Definitionem*, *Divisionem* atque *Argumentationem*. Nam definitio rei naturam ostendit, divisio partes, argumentatio attributa proprietatesque; atque horum omnium notitia demum scientiam constituit. Logica ergo de his præsertim agere pro fine suo debet, ac propterea etiam ab hoc præcipuo tractationis suæ objecto vocata est *Modus sciendi*. Et definitionis quidem ac divisionis hic locus proprius est, utpote quæ ad primam mentis operationem spectant, suntque totidem media præstantissima, quibus homo in veritatis assecutione promovetur, ut inter errorum hinc inde latentium præcipitia, tutum ad optatam metam dirigat cursum. Etenim errores, quantum pertinent ad primam mentis operationem, non aliter dissipantur, quam luce idearum clararum rebusque ad amusim respondentium. Et ad ideas quidem claras exactasque comparandas, valet multum attentio et reflexio, aliaque præsidia, quæ recta ratio dicat, et in multis libris recentiorum

Medus
sciendi quid.(1) Cfr. P. Sylv. Mauri, cap. 29 *Summul.* Cfr. superius dicta, n. 54 fin. in nota.

potissimum Philosophorum reperiuntur. Sed nihil tantopere ad eum finem juvat, quam rectus usus definitionum divisionumque. Quamobrem, harum disciplinam, omissis cæteris, accurate tradere contendam.

ARTICULUS I. De Definitione.

71. Definitio ex Cicerone est: *oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime* (1): vocataque sic est a finibus agrorum. Nam ut agrorum fines agros definiunt et elaudunt, aliosque ab aliis secernunt; sic Definitiones, quibus rerum naturæ declarantur, essentias earum circumscribunt, aliasque ab aliis distinguunt (2). Ipsa res definita nominatur definitum. Appellabatur etiam ab antiquis Philosophis definitio terminus (3), ideo quia includit totaliter rem, ita scilicet quod nihil rei est extra definitionem, cui scilicet definitio non conveniat, nec aliquid aliud est infra definitionem, cui scilicet definitio conveniat (4).

Exinde patet definitionis in omni tractatione verique investigatione utilitas, quin et necessitas: quam procul dubio perdidit Romanus Orator, cum hæc scripsit: *Omnis, quæ ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit, id, de quo disputatur* (5).

Ut ergo rem accurate tractemus, agendum nobis primum est de ipsa definitione, tum de definito.

§ 1.

72. Duplex est definitio, altera nominis, altera rei (6). Nominalis, quæ vocari quoque posset *interpretatio*, explicat nominis significationem, ut si Philosophiam definias *amorem sapien-*

(1) *De Orator.*, c. 33, n. 118. Vel secundum eundem Tullium definitio est: *oratio quæ id quod definitur, explicat, quid sit.* (*De Orator.* n. 116): *Cfr. id., Topicor.* c. 2, n. 221.

(2) *Quintilian.* lib. 7, c. 4.

(3) Vide *Arist. 1., Topicor.* c. 4; *S. Thom. Periherm.*, lect. 4 initio.

(4) *S. Th. lib. 1 Periherm.* lect. 4.

(5) *Lib. 1 de Officiis*, c. 2.

(6) *Cfr. Arist. 2.º Poster.* cap. 10.

tia. Et variis modis fieri potest: *α) per vocis etymologiam.* Sic Eva vocata fuit *virago*, quia *de viro sumpta* (1): sic *consul* est qui patriæ *consulit*, et *intelligere* interpretatur Angelicus quasi *intus legere* (2): *β) per vocis interpretationem et conversionem ab una in aliam linguam.* Exemplum habes in illis *S. Pauli* verbis: *In quo clamamus Abba, Pater.* (3). Ita etiam Logica definitur *disciplina rationalis.*

γ) Per voces alias ejusdem linguæ clariiores et communiore: ut si *frameam* definias telum quoddam, et *ensem gladium.*

Usus definitionis nominalis frequens est, neque ineptus initio disputationis ad viam sternendam reali definitioni. Nam antequam sciatur de aliquo, AN SIT non potest sciri de eo proprie, QUID SIT. Non enim enim non sunt definitiones. Sed non potest ostendi de aliquo, AN SIT, nisi prius intelligatur, quid significatur per nomen (4). Idque tunc potissimum fieri debet, cum diversa existit inter sapientis vocis alijus intelligentia. Tunc enim ante omnia debet quisque accurate ac sincere declarare, quid per nomen aliquid intelligat, ne tota veritatis controversia circa vocem: quo nihil est sapiente minus dignum (5).

Quod si vocis ipsius acceptione non unum sit hominum iudicium, *significatio nominis accipienda est ab eo, quod communiter intendunt homines.* Libertas enim mutandi pro libitu vocum significationes ipsum humanum commercium penitus everteret.

73. Definitio realis est oratio, quid res sit, explicans (6). Dicitur *oratio*, seu *terminorum complexio*; cum enim definitio

(1) *Genes.* c. 2, v. 23.

(2) *Quest. 1 de Verit.* art. 12. Ejusmodi definitio, quando nomen rei conservat significationem vocis, a qua derivatur, novato vocabulo appellatur a Cicerone *notatio* apud *Fonseca.* (*Inst. dialect.* lib. 5, c. 1.)

(3) *Rom.* cap. 8, v. 15.

(4) *S. Th. in 1.º Posterior.*, lect. 2. *Cfr. Cicer. 2.º de Finibus.* Preceptumque hoc *S. Doctor* exemplo suo confirmavit. tum 1 p. q. 75 in corp., tum alibi sæpe.

(5) Nam *sapientis est non curare de nominibus*, inquit Angelicus (2 dist. 3, q. 1 a. 1.). *Cfr. S. August. lib. de Orig. Anim.* c. 21.

(6) Hinc vides discrimen inter nominalem ac realem definitionem. Nominalis enim solam vocem declarat, de re vero ipsa nihil per se

debeat distincte prædicata rei declarare, quæ nonnisi confuse menti repræsentantur per nomen rei, oratione aliqua contineatur, oportet, quæ quasi involutum evolvat id de quo quaeritur, quemadmodum loquitur Tullius (1). Atque hæc est expressa doctrina S. Thomæ (2). Et prout oratio ejusmodi mentalis sit vel oralis, definitio quoque mentalis erit aut oralis. Itemque complexio ipsa terminorum sive mentalium sive oraliū, prout in se ipsa est, vocatur *Definitio formalis*; objectivæ autem rationes expressæ per talem complexionem seu orationem nominatur *Definitio objectiva*. Id quod, ut vides, respondet divisioni, qua terminus, sive mentalis sive oralis, partitur in *formalem* et *objectivum*. Sed hærebis fortasse, hanc audiens definitionem, quæresque, qui fieri possit, ut definitio sit *oratio*, et tamen ad primam mentis operationem spectet, quemadmodum supra innuimus: hæc enim pugnancia videntur esse. Sed respondeo primum, hanc esse communissimam sententiam Philosophorum, cum S. Thoma (3) docentium, definitionem ad primam intellectus operationem pertinere. Quod si cum definitiones conficimus, propositiones veras enuntiamus, ut cum dicimus: *Homo est animal rationale*, animadvertite *definitionem* solo prædicato hujus propositionis contineri, subjectum vero exprimere rem ipsam *definitam*: quare propositio illa non solam implicat definitionem, sed identitatem definitionis cum definito (4).

Quod vero definitio vocetur et sit oratio quædam, nihil est; ut enim mox videbimus, ad orationem logicam imperfectam constituendam non requiritur verbum nec propositio aliqua, sed sufficit quicumque *terminus complexus*, atque adeo potest bene spectare ad primam mentis operationem.

enuntiat, ut si quis aliunde rem non cognoscat, per solam nominis definitionem, vix quidquam intelligat. Realis vero rem ipsam attingit.

(1) *Topicor.* c. 2. n. 221.

(2) In 7.^o *Metaph.* lect. 9.

(3) Vide inter alia plurima loca l. p. q. 17. a. 3; *Quodlib.* 5. a. 9; 2.^a *Poster.*, lect. 2, et lect. 5.

(4) Sunt tamen qui contra sentiant, ut videre est apud P. Lossada (*Logica*, tract. 5, disp. 1, cap. 2, n. 1); nam quidam opinantur definitionem perfectam in secunda mentis operatione reperiri, alii vero illam sive ad primam sive ad secundam pertinere posse opinantur.

Definitio spectat ad primam mentis operationem.

74. Duplex est definitio realis, altera *descriptiva*, altera *essentialis*. Essentialis est oratio, quæ rei naturam seu essentiam explicat. Essentia porro seu natura vel quidditas (hæc enim nomina idem sonant) (1) est id, quo res constituitur id quod est. Ita hominis essentia constituitur *animalitate ac rationalitate*: poteris enim ab homine detrudere sapientiam aut albedinem, salva ejus manente natura; verum si aut animalitatem aut rationalitatem detraxeris, hominem peremisti.

Essentialis bifariam dividitur, in *physicam* et *metaphysicam*. Physica fit, afferendo partes seu principia essentiæ realiter inter se distincta et separabilia; ut si definias hominem *compositum ex corpore organico et anima rationali*. Ad hanc revocari possunt definitiones artefactorum, v. g. *domus*, quæ fiunt exprimendo materiam et figuram, qua constare solent. Metaphysica fit, afferendo partes seu constitutiva metaphysica essentiæ, qualia sunt genus et differentia; ut si definias eundem hominem *animal rationale*.

75. Definitio descriptiva est, quæ rem declarat, non per prædicata essentialia, sed per indicia quædam latentis essentiæ, quæ illam aliquo modo demonstrent, atque a cæteris omnibus secernant. Et ideo vocatur *descriptiva*, quia est descriptio quædam, non penitus naturam enucleans rei, sed primis quasi lineamentis adumbrans.

Trifariam fieri potest descriptiva definitio: α) per genus et accidentia *propria* seu proprietates: et hæc præcipue dicitur *descriptio*. Exemplum habes in definitione, qua homo dicitur *animal risibile, aut disciplinæ capax, aut juxta Ciceronem, animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor plenum rationis et consilii* (2).

Huc etiam revoca descriptiones factas per ea accidentia, quæ licet singillatim accepta multis sint communia, collective tamen uni certæ rerum speciei competunt. Quemadmodum si hominem definias *animal bipes, implume*. Ejusmodi est descriptio cyconie in illo Virgillii Maronis versu contenta:

Candida venit avis longis invisâ colubris.

Huc denique revoca definitionem per effectus.

(1) Vide S. August. lib. 12 de *Civitate Dei*. c. 2; et de *Moribus Manichæorum*. lib. 2, c. 2; S. Th. *Opusc. de Ente et essentia* c. 1.

(2) Lib. 1. de *Legibus*, cap. 7.

Quotuplex definitio realis.

Quotuplex definitio essentialis.

Quotuplex descriptiva.

β) Descriptio fit secundo per causas extrinsecas rei (1), et vocatur *causalis definitio*. Causæ porro extrinsecæ sunt, *efficientis, exemplaris et finalis*. Per causam efficientem definitur vox: *sonus, animalis ore prolatus*; per causam finalem horologium: *machina ad indicandas horas constructa*; per exemplarem imago picta B. Virginis dicitur: *tabula ad similitudinem B. Virginis expressa*: et per omnes tres hæc causas anima humana definitur: *forma a Deo creata ad imaginem ac similitudinem suam, et ad æternam beatitudinem destinata*.

γ) Tertia denique fit descriptio exponendo *genesin* seu modum, quo res fit, ideoque vocatur *genetica*. Sic eclipsis lunæ dicitur esse *defectus lucis ex interpositione telluris inter illam et solem*; et circulus, *figura plana exurgens ex motu lineæ rectæ sese circa fixam sui extremitatem vertentis*. Hac non raro utuntur Mathematici.

Definitio per
additamentum.

Ad descriptionem quoque revocari potest definitio, quam vocant *per additamentum*. Dicitur definitio *PER ADDITIONEM* quando in definitione ponitur aliquid, quod est extra essentiam definiti, sicut *NASUS* ponitur in definitione *SIMI*. (2) Nimirum sunt quædam rationes, quæ aut ex mentis nostræ imbecillitate, aut ex propria etiã ipsarum conditione, quia videlicet habent essentialem ordinem atque habitudinem ad aliud, definiuntur, explicanturque per respectum ad aliud aliud, quod est extra ipsarum essentiam et entitatem. Atque hæc vocantur definitiones *per additamentum*. Sic *similitas* definitur *curvitas nasi*: quamquam enim *nasus* sit extra essentiam similitatis, hæc tamen relationem involvit ad illum, quia *simus* non dicitur nisi de naso curvo, ideoque declaratur per ordinem ad illum. Hoc modo etiã potentiæ vitales, habitus

(1) Per causas, inquam, *extrinsecas*. Causæ enim intrinsecas rem constitutiva definitionem essentialem physicam efficiunt. Quod si ad causas intrinsecas rei velis etiã revocare accidentia et proprietates physicas, definitio quæ ex illis peteretur esset descriptiva præcedentis generis. Itaque causalis definitio sola illa dicitur, quæ per causas extrinsecas efficitur.

(2) S. Thom. *Quodlib.* 9, art. 5, ad 1.^{um} Cfr. lib. 7, *Metaphysicor.* lect. 4.

operativi, artes, aliaque bene multa, per suos terminos aut objecta definiuntur (1).

Jam ex his definitionibus patet præstantissimam esse essentialem; quam proxime sequitur illa, quæ fit per proprietates.

§ II.—LEGES RECTÆ DEFINITIONIS VARIÆ RECENSENTUR.

76. *Prima. Definitio sii clarior definitio seu fiat ex notioribus*. Et ratio manifesta petitur ex fine, definitio enim usurpatur ad rem declarandam. Planum autem est majorem hanc claritatem definitionis intelligendam esse non absolute, sed *relative*, nimirum respectu illorum, qui vim percipiunt et cognitionem habeant terminorum ac notarum, per quas fit definitio. Etenim relate ad imperitos fieri bene potest, ut definitio in se perspicua, minus clara videatur. Sic quot reperies rudes, qui melius intelligunt *hominem*, quam *animal rationale*? (2) Peccatur contra hoc præceptum: α) si adhibeantur in definitione metaphoræ (3) potissimum difficiliore ac longius petitæ, ut si definias, *hominem arborem inversam*, aut *somnum fratrem mortis*: β) si voces adhibeantur vagæ, ambiguæ, equivocæ, minusque usitatæ, ut si definias *hominem corpus vivens*, vel *animal quoddam*: et *cochleam, terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam* (4): γ) si fiat per negationes, ut si dicas: *Homo est quod non est leo*. Tamen existimo, in contrariis medium non habentibus et in privativis, haud inepte fieri definitiones per negationem oppositi. Sic tenebræ dicuntur *carentia lucis*, et cæcitas *privatio visus*, et simplex *quod caret partibus*.

Leges recte
definitionis:
1.^a

Secunda regula. Definitum ne ingrediatur definitionem, seu non definiatur idem per idem. Ratio patet ex præcedenti regula, quia clara esse nequit definitio, quæ idem explicet per

2.^a

(1) Vide Aristot. *Metaphysicor.* lib. 7, cap. 5, text. Comm. 17, 18, et ibid. Commentatores.

(2) Cfr. S. August. lib. II *Confess.* c. 14.

(3) «*Metaphora* inquit. S. Thom., *accipitur secundum aliquid simile; non oportet autem, ut id quod est simile secundum unum, sit simile quantum ad omnia.*» In lib. 2.^{um} *Posterior.* lect. 16.

(4) Apud Ciceronem. lib. 2. de *Divination.*

idem: ut si dicas: *Logica est ars quæ tradit regulas logicas*, aut: *Homo est animal habens humanam naturam*. Bifariam peccari potest: aperte, ut in allatis exemplis, et occulte seu per vitiosum, quem vocant, *circutum*, quando nimirum aliquid definitur per aliud, quod vicissim explicatur per primum, ut si diem definias *durationem viginti quatuor horarum, et horam, vigesimam quartam partem diei*. Nihilominus in relativis non reputatur vitium, si unum per aliud invicem definiatur, quia talis sunt naturæ, ut mutuo dependeant quoad sui cognitionem.

3.^a **Regula tertia.** *Definitio sit brevis*; quia brevis confert ad claritatem ac faciliorem rei intelligentiam. Ideo enim definitimus rem, ut quasi formulam quamdam conficiamus, quæ rei naturam atque attributa summam exhibeat.

4.^a **Regula quarta.** *Definitio conveniat omni et soli definito*, vel ut ab aliis enuntiatur: *Definitio talis esse debet, ut possit converti cum definito*. Ratio, quia definitio ita rem declarare debet, ut eam ab aliis aliarum specierum secernat.

5.^a **Regula quinta.** *Definitio non sit redundans, neque diminuta*. Si enim quid redundat, vel desideratur, eo ipso naturam rei non explicat, cum illi tribuat aliquid, quod non habet, vel eripiat aliquid quod habet (1).

6.^a **Regula sexta.** *Definitio fieri debet per genus proximum et ultimam differentiam*. Quæ lex potissimum habet locum in essentiali definitione; verum servatur etiam cum quadam proportione in accidentalibus quoque ac descriptiva, quando natura rei explicatur per aliquid, quod illi commune est cum aliis, et per aliquid proprium ipsi.

Ratio vero, cur in omni recta definitione ponenda est differentia ultima est, quia secus non poterit res discerni a cæteris omnibus seu ab *omni non ipsa*. Genus quoque proximum afferre oportet, ut ita cognoscatur integra rei essentia seu species, quæ ex genere proximo ac differentia coalescit: quod si genus proximum exprimitur, eo ipso implicite comprehenduntur cæteræ omnes notæ essentialia (2).

(1) Vide S. August., lib. 2 de *Doctrina christ.*, c. 35, et *De Quantitate Animæ*, c. 25.

(2) Cfr. Arist., lib. 6 *Topicor.*, cap. 5.

Fieri autem quandoque potest, ut differentia ultima cum genere etiam remoto satis perspicue rem totam declaret: atque ita passim approbantur communi calculo non paucae definitiones ejusmodi (1) ut illa, qua virtus dicitur esse *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur* (2). Ita etiam Syllogismus solet definiiri cum Aristotele: *oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt* (3).

Quæ cum ita sint, patet, cur definitio laudetur vel reprehendatur non tam quia *vera vel falsa* sit, sed quia *recte facta vel vitiose*; non quod non quaerenda sit in ea veritas, hæc enim semper supponitur, sed quia potest vera esse, quin apta sit ad finem usque, ad quos adhibenda in scientiis est. Quamobrem Logica rectas docet conficere definitiones, cum præsertim non spectet ad ejus provinciam, veritatem rerum investigare, sed aptos modos ad eam perscrutandam monstrare.

§ III.—QUALIS DEBEAT ESSE RES DEFINIENDA.

77. Complementum materiæ postulat, ut pauca quædam addantur de re definita. Definitum duplex distingui solet, *proximum* vel *propinquum* vel *immediatum* alterum, alterum *remotum*. Propinquum est, quod proxime explicatur definitione, ut *homo* definitur per animal rationale. Remotum vel secundum vel *mediatum* est, quod remote definitur, quatenus in propinquo contentum (4): quo pacto cum definitur species *homo*, eo ipso definita manent remote individua speciei humanæ, ac definito genere quovis, definiuntur quoque remote

Quotuplex definitum.

(1) Vid. Card. Tolet. *In Universam Aristot. Logicam*, lib. 1.^o *Perrherm.*, cap. 4. de *Oratione*. etc., quest. 1.^o; Conimbricens. *Dialect.* in cap. 4.^{um} de *Interpret.*, quest. 3, art. 2.

(2) V. S. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4.

(3) Aristot. *Prior. analyticor.*, lib. 1, cap. 1.

(4) Sunt autem qui aliter hæc explanant. Scilicet definitum *propinquum* volunt esse ipsum *nomen vel terminum*, quo res quamvis significatur; *remotum* autem, rem ipsam termino significatam. Non est disputandum de voce.

species ejus ac remotius individua. Quamobrem definitum remotum nequit converti cum definitione, atque adeo non est appellandum simpliciter definitum, sed nomine definiti venit simpliciter definitum propinquum. At qualem esse debet definitum, seu res definienda.

Quale
definitum.

1.^o Definitum debet esse *unum*; si enim plura sunt definienda, sua quodque diversa eget definitione, sicut propria quoque gaudet natura. Debet porro esse non quomodocumque unum, sed *unum per se* (1): quare concretum ex substantia et accidente, v. g. *homo albus*, cum sit unum per accidens, nequit unica definitione declarari quoad utramque partem, sed duplici eget, qua singule partes explicantur; quamquam nihil vetat utramque definitionem ejusmodi, uno contextu orationis exprimere; ut si *hominem doctum* dicas esse animal rationale scientiarum cognitione præditum.

2.^o Non modo unum, sed debet præterea definitum esse *universale*, et non singulare, quemadmodum præcipiunt cum Philosopho (2) frequentissime Logici. Hoc autem præceptum intelligitur, de definitionibus essentialibus ac scientificis. Et ratio plana est, quia nec scientiæ contemplari possunt per se singularia, quæ variant in infinitum; nec proprias singularium differentias penetrare nobis licet secundum intimam essentiam, sed solum aliquammodo cognoscere per externa quædam accidentia.

3.^o Definitum non debet esse notio aliqua simplicissima, sed aliquam notarum complexionem habeat necesse est. Si enim notio simplicissima sit, non habet, unde possit declarari, nisi vel per extrinseca connotata, vel per diversas voces, quæ naturam eandem eundemque objectivum conceptum manifestent.

Non omnia
definienda.

78. Colliges hinc 1.^o Non omnia definitione veri nominis definiri posse, nec debere. Non debent definiri, quæ perspicua sunt; non possunt autem definiri ea, quæ simplicia sunt simplicitate metaphysica, quæ nempe non coalescent ex pluribus notis intelligibilibus, tamquam ex genere et differentia. Quod si omnia definienda essent, nunquam feret

(1) Aristot. lib. 7.^o *Metaph.* c. 12, text. Comm. 42.

(2) Aristot. lib. 6.^o *Metaphys.* lib. 7.^o text. Comm. 36.

finis definiendi, nec posset proinde quidpiam perfecte scribi. Possunt nihilominus omnia declarari aliquo modo saltem descriptione vel nominali definitione.

2.^o Definitum debere esse univocum quiddam. Ideo æquivoca, prout talia sunt, prius dividuntur, enumeratis singulis membris, de quibus idem terminus prædicatur, ac dein per partes singula propriis definitionibus definiuntur; quia nimirum non conveniunt æquivoca in una communi ratione, sed habent nomen dumtaxat commune. Analoga tamen solent quandoque communiter definiri, si videlicet habeant unum aliquem conceptum, quo utcumque possint omnia convenire et comprehendere, postmodum autem debet in singulis analogatis ratio cujusque propria definiri peculiari definitione.

Quænam
nequeant de-
finiri.

3.^o Incapacia sunt etiam propriæ definitionis notiones transcendentales, ut sunt ratio *entis*, *boni* etc., quia simplicissima sunt, nec genere constare possunt ac differentia.

Itemque singularia, ut jam monuimus. «Describi tamen consueverunt ex multorum accidentium collectione, ut si Platonem definias hominem quendam, Aristonis et Perictionia filium, veteris Academiæ principem, aut alia hujusmodi oratione, quisnam fuerit explices.» Hæc accidentia, quibus individua solent describi, hoc versiculo continentur:

Forma, figura, locus, stirps, patria, nomen.

4.^o Notandum, quod, ut habetur 2.^o *Metaphysicor.* hæc est differentia inter definitionem suppositorum, et definitionem formarum sive substantialium sive accidentalium. Nam in definitione suppositi nihil ponitur, quod sit extra essentiam definiti, sed omnes particulae definitionis sunt de essentia definiti. Formæ vero quia non possunt per se esse, sed in alio, scilicet in subjecto vel in materia, in sui definitione requirunt subjectum vel materiam, quæ tamen non sunt de essentia eorum: et ideo ipsarum definitiones dicuntur esse per additamenta. Unde formæ accidentales in sui definitione requirunt subjectum. Hæc est autem differentia inter eas definiendo. Nam formæ abstractæ aliter requirunt subjectum in earum definitionibus, quam formæ sumptæ in concreto: formæ abstractæ requirunt subjectum loco differentie,

ut cum dicimus: crispitudo est contractio capillorum (1), ubi capilli, qui sunt subjectum crispitudinis, ponuntur loco differentiae; in concreto vero requirunt subjectum loco generis, ut cum dicimus: crispimus es capillus contractus (2). Ita Auctor Summæ totius Logicæ Aristotelis (3).

§ IV.—MODI DEFINITIONES CONFICIENDI.

79. Duplex traditur via definitiones rerum venandi a Platone (4) et Aristotele (5), quos reliqui passim Philosophi sequuntur; altera *divisiva*, seu per *divisionem* aut *descensum*; altera *collectiva* seu per *collectionem*, vel per *ascensum*. Per *divisionem* seu *descensum* invenitur definitio sic: primo decernitur, ad quod prædicamentum vel genus rerum pertineat res definienda. Dividitur deinde illud ulterius per differentias, donec perveniatur ad speciem, quæ convertatur seu recipitur cum re, cujus investigamus definitionem. Sic si hominem definire volo, respiciam prædicamentum substantiæ, ad quam procul dubio pertinet homo: dividam substantiam in *spiritualem* et *corpoream*. Et homo quidem est substantia corporea; non tamen per id solum satis definitur, quia sunt et aliæ infinite substantiæ corporeæ præter hominem; dividere itaque oportebit ulterius corpoream substantiam seu corpus in *animatum* et *non animatum*; et iterum corpus animatum seu vivens dividendum erit in *sensibile* seu animal et *insensibile*, quia ratio viventis nequit converti cum homine. Ob eandem rationem animal dividi debet in *rationale* atque *irrationale*, quin necesse sit jam ulterius procedere in divisionibus, cum statim videam *animal rationale* esse justam atque adæquatam hominis definitionem (6). Aliud exemplum *ternarii* dabit Aristoteles (7).

(1) Vel *similitas* est *curvitas nasi*.

(2) Vel *simum* est *nasus curvus*.

(3) Tract. de *Interpretat* seu *enuntiat*. cap. 1; Cfr. *Periherm.* lib. 1 lect. 4.^a post initium.

(4) In *Sophista* et in *Phædro* et alibi. Cfr. Alcinous, *De Doctrina Platonis*, cap. 5.

(5) Lib. 2 *Posterior.*, cap. 14.

(6) Vide Arist. lib. 2 *Posterior.*, cap. 14. Cfr. S. Th. ibid. lect. 13; et Sylv. Mauri ibi. in *Comment.* text. 17.

(7) Ibid.; et lucidissime ibid. Sylv. Mauri.

Hunc definiendi modum pulchro declarat exemplo statuarii Magni Augustinus, vel quicumque sit auctor libri *Categoriarum*, qui ab illius nomine inscribitur: *Ut ii, qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo et abscondendo superflua, ad formandos cultus et membra perveniunt: sic definitio a genere incipiens depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere* (1).

80. Opposita via proceditur in methodo definitionis veniendæ per *ascensum* vel *collectionem*, nimirum observando omnia singularia similia, quibus idem nomen tribuitur, et diligenter considerando et indagando rationem, quæ sub communi nomine in omnibus illis significatur. Si quæ enim notio reperitur, quæ tum conveniat omnibus illis, tum etiam eadem secernat a reliquis omnibus rebus, illa exhibebit rationem specificam ac proinde quæsitam definitionem. Si vero individua illa non conveniant in aliqua ejusmodi ratione, videndum erit, num sit saltem aliqua superior ratio, quæ omnibus pariter insit, licet non sit eorum tantummodo propria, sed adhuc etiam aliis communis. Quod si reperitur aliqua ejusmodi ratio, illa exprimet genericam notionem illorum individuorum, ideoque signum erit, quod illa spectent ad diversas species: postquam autem ita reperta fuerit generica ratio, haud erit difficile complere definitionem, investigando, per quid inter se discrepent illæ species, quæ in tali genere ac ratione conveniunt. Denique si nulla sit ratio communis omnibus illis individuis conveniens, quorum specificam naturam inquirimus, signum est illa esse analogæ; ac proinde singillatim definienda sunt (2).

Exemplum affert Philosophus (3) ad rem declarandam, quod ita eleganter exponit Sylvester Maurus: «Querimus, quid sit magnanimitas? Ut venemur definitionem magnanimitatis, considerare debemus homines singulares, qui dicti sunt magnanimi. Dividuntur isti in duas classes: in prima classe

(1) S. Aug. *Categor.*, cap. 6.

(2) Vide Arist. lib. 2.^o *Posterior.*, Cap. 16, text. 22; et S. Th. ib. lect. 16 initio.

(3) Ibid.

continentur Alcibiades, Achilles et Ajax Telamonius, qui ita dicti sunt magnanimi, ut fuerint similes in hoc, quod ferre non potuerunt injurias. Alcibiades enim non ferens Athenis Lysiam sibi præferri, deficit ad Lacedæmonios, et bellum intulit patriæ; Achilles ob raptum sibi ab Agamemnone Briseidem abstinuit bello; Ajax ob Ulyssem sibi prælatum in accipiendis armis Achillis seipsum interfecit. In secunda classe sunt Socrates et Lysander, qui dicti sunt magnanimi, et tamen fuerunt tolerantes injuriarum, adeoque fuerunt dissimiles a tribus primis, sed fuerunt similes inter se in hoc, quod æqualiter se habuerunt, tum in rebus secundis tum in adversis. His positus querendum: *æqualitas in adversis ac secundis et non tolerantia injuriarum, conveniuntne in aliquo uno an non?* Si non conveniunt, ergo sunt duæ species ac duæ definitiones magnanimitatis, ac proinde magnanimitas dicitur æquivoce. Si conveniunt, id erit definitio et quidditas magnanimitatis. Et quia magnanimi conveniunt in hoc, quod existimant se dignos magnis, ideoque quidam non ferunt contemptum et injurias, alii propter id ipsum æquanimiter se habent in adversis ac secundis, quæ despiciunt utpote inferiora magnitudine sua; ideo definitio magnanimitatis est: *virtus per quam quis se dignum existimat magnis* (1).

Ex his duobus modis venandi definitionis primus aptior est disciplinæ, naturæque ordini conveniens, secundus vero inventioni eoque sæpe usus est Socrates apud Platonem, ut scribit Petrus Fonseca (2). Cæterum nulla fieri recte potest definitio ab eo, qui penitus naturam rei non cognoverit.

Verba
in definitione
sumenda sunt
aptitudinaliter.

81. SCHOLION. Non raro audies forte axioma philosophicum respiciens definitionem, quod nimirum *verba in definitione sumenda sunt aptitudinaliter*. Cujus proloquii hunc esse sensum arbitror, definitionem exprimere naturam ac naturales rei exigentias et inclinationes vel aptitudines, præscindendo ab hoc, quod actu illæ existant, necne. Cum enim definitionis officium sit rerum essentias declarare, essentia autem rerum creaturarum vel creabilium præscindant, quantum est de

(1) Sylvest. Mauri 2.^a Posterior. text. 22, n. 19.

(2) Instit. Dialect. lib. 5. cap. 7.

se, ab existentia, reliquum est definitionem eas præ se ferre debere notas, quæ rei necessario competunt pro omni tempore ac duratione, et in omni statu, sive existentia sive possibilitatis.

ARTICULUS II.

De Divisione.

82. Divisio est oratio totum in suas partes distribuens. Dicitur *oratio*, quia dialectica divisio non est materialis ac physica quædam partium sectio, sed complexio terminorum, quæ de toto aliquo loquentes partes ejus assignamus. *Totum* est res, quæ dividitur, et appellatur *divisum*; partes vero membra dividenda, vel divisionis.

Divisio alia est *nominis*, alia *rei*. Divisio nominis proprio nomine nuncupatur *distinctio*, estque distributio vocabuli vel orationis in diversas suas significationes aut sensus: ut si dicas: *Vox TAURUS primo significat animal quoddam, deinde signum cæleste*, tum *Asia montem*. Harum divisionum plena sunt lexica, quæ diversas vocum explanant significationes, in scholis vero ac disputationibus frequentissimus est usus cum ambiguae vocis vel orationis enumeratis sensibus, secundum alterum approbatur, secundum alterum respuitur propositio.

Divisio rei est ejusdem distributio in suas partes. Totque sunt realis divisionis species, quot *Totius*, quod dividendum est. Totum porro aliud est *actuale*, aliud *potentiale*. Actuale est, quod partes actu in se includit. Et potest esse vel *essentiale* vel *integrale*. Totum *essentiale* dicitur respectu partium quibus res in sua essentia constituitur: tales sunt corpus et anima in viventibus corporeis. Duplex est totum *essentiale*, *physicum* et *metaphysicum*, physicum est, quod coalescit ex partibus realiter distinctis, quales sunt corpus et anima in homine; metaphysicum vero est, quod coalescit ex partibus sola mentis consideratione distinctis, cujusmodi sunt in eodem homine animalitas et rationalitas.

Totum integrale dicitur respectu partium, quæ non ad essentiam rei spectant, sed eam completam atque integram

Quid divisio.

Totum
ac partes.

Divisio
nominalis.

Divisio realis.

Totum actuale
quotuplex:

essentiale
duplex:
physicum et
metaphysicum.

Totum integrale.

efficiunt. Sic corpus humanum respectu capitis, manuum reliquorumque membrorum est totum integrale, quia ex iis completur ita, ut si quod deficiat, essentia quidem hominis non pereat, corpus tamen ipsius jam minime remaneat integrum. Partes integrantes possunt esse vel *homogeneæ* seu *similares*, quales reperiuntur in lapide ac cæteris corporibus inorganicis, vel *heterogeneæ* seu diversæ, ut contingit in corpore humano et generatim in organicis.

potestativum. Ad totum ac partes integrales revocari quoque possunt totum quod peculiari sensu *potestativum* nuncupatur, et partes ipsi subjectæ. Dicitur porro totum potestativum speciali sensu aliquid respectu virium seu potentiarum, quibus instruitur, et in quarum singulis integra virtus ac ratio totius minime salvatur. Exemplum habes in anima respectu potentiarum ipsius, ut cum animæ dicitur altera esse pars intellectiva, altera appetitiva. Ita prudentiæ tribuuntur tamquam partes potestativæ *synderesis*, *eubulia* et *gnome*; et justitiæ *pietas*, *religio* etc. Hoc speciali sensu videbis apud theologos totum ac *partes potestativas* usurpari. Quamquam sæpissime Philosophi totum potestativum tamquam identicum cum integrali accipiunt.

Ratio vero, cur totum potestativum peculiari hoc sensu sumptum ad totum integrale revocetur, est «quia ut res extensa constat suis partibus integrantibus quoad totam extensionem, sic res quæ multa potest, constat suis viribus potentiisve quoad totam potestatem,» seu virtutem (1).

potentiale. 83. Totum *potentiale*, quod etiam *potestativum* vocatur, licet non in sensu speciali, quem modo declaravimus, dicitur per ordinem ad partes, quas non actu, sed potentia continet, nimirum est ratio seu idea universalis respectu inferiorum, de quibus prædicari potest, quæque sub sua extensione continet. Tale est *homo* respectu Petri et Pauli et cæterorum individuorum. Inferiora vero notionis universalis appellantur partes illius *subjectæ* vel *subjectivæ*. Facile porro percipies, cur universalis idea dicatur totum *potentiale*, nimirum ratione

(1) Fonseca *Inst. Dial.* lib. 4, cap. 3. Cfr. tamen S. Th. 1 p. q. 77, a. ad 1.^{um}

sua extensionis. Cum enim de pluribus inferioribus possit prædicari, nullum eorum exhaurit extensionem ac prædicabilitatem illius, sed omnia simul sumpta; sicut totum actuale actu partes suas æquat. Præterea sicut actuale totum, quando in partes suas scinditur, non retinet in illis singulis totalitatem suam; ita quoque idea universalis, divisa in inferiora, contrahitur, nec in illis jam retinet pristinam suam extensionem. Propter has ergo analogias cum toto actuali, notio universalis concipitur instar totius cuiusdam, et nominatur *potentiale*, ut secernatur ab actuali.

Inferiora vero dicuntur partes *subjectæ*, quia singula sunt partes extensionis, seu unum eorum, de quibus notio universalis prædicari potest. In prædicatione namque naturali, quemadmodum superius docuimus, ratio universalior locum tenet prædicati, et minus universalis seu inferior, locum subjecti.

Verum hæc manifesta sunt, quemadmodum etiam differentiæ inter totum actuale et *potentiale*. Nam actuale partes illas, in quas despicitur, actu continet, atque ex earum complexu coalescit realitas illius, secus vero *potentiale*: hinc actuale partes habet secundum suam comprehensionem, *potentiale* autem secundum extensionem. Præterea integra essentia totius *potentialis* salvatur in singulis partibus; secus vero accidit in toto actuali, neque enim v. g. anima hominis est homo, nec corpus est homo: ex quo sequitur non posse totum actuale prædicari de singulis partibus, potest autem totum *potentiale*.

Deinde totum actuale dividitur per analysim seu resolutionem ac segregationem partium; e contrario totum *potentiale* per synthesisim et aggregationem alicujus actus, sicut dividitur genus in species per adjectionem differentiarum specificarum, et species in individua per appositionem individualium differentiarum. Ideo notio generica proprie loquendo non dividitur *in* differentias, sed *per* differentias *in* species varias; quia nihil proprie dividitur *in* ea, quæ non continentur in illo, differentia autem formaliter sumpta non includuntur in genere, sed ab eo perfecte præscindunt.

Denique totum *potentiale* ita se habet ad partes *subjectivas*, ut hæc rationem habeant totius actualis respectu ipsius

Discrimen
inter totum
actuale
ac *potentiale*

totius potentialis; idea enim universalis est pars comprehensionis inferiorum sub illa contentorum (1).

Variae species
divisionis:
actualis,

84. Quae cum ita sint, divisionis duae possunt cogitari species, *actualis* et *potentialis*. Actualis est divisio totius alicujus actualis; dispescique potest in *integrale* et *essentialem*. Integralis est divisio totius in partes integrantes; essentialis in partes essentielles. Haec iterum partitur in *physicam* et *metaphysicam*: divisio essentialis physica est ea, quae fit in membra essentialia realiter inter se distincta et secabilia; metaphysica est illa, qua aliquid distribuitur in partes sola ratione distinctas.

potentialis.

Divisio potentialis est divisio totius potentialis, seu descensus et contractio rationis communis in inferiora per adjectionem differentiae alicujus: unde fit, ut ratio illa sic contracta vel divisa, nequeat praedicari de omnibus, de quibus prius ante hujusmodi divisionem praedicabatur. Sic animal ut sic praedicatur tum de homine tum de bruto; animal vero *rationale* aut *irrationale* non amplius retinet eandem praedicabilitatem, quam animal simpliciter.

Varii
modi divisionis
potentialis.

Triplex porro est divisio potentialis: α) divisio generis latioris in minus lata et universalis, qualis est divisio substantiae in *spiritualem* et *corpoream*: β) generis in species infimas, quo pacto animal irrationale, dividi potest in *leonem*, *equum*, *canem*, etc. et corpus simplex in *oxygenium*, *hydrogenium* et caetera, que Chemicis recensenda relinquimus: γ) speciei infimae in individua: sic homo dividitur in *Petrum*, *Paulum*, *Andream*, etc. Haec tamen ultima species divisionis potentialis scientifica non est, nam scientiae non disputant de individuis.

Divisio
per se et per
accidens.

Nota autem omnes has diversas species divisionis fieri vel *per se* vel *per accidens*. Ea est divisio *per se*, quae fit in partes, quae ratione sui conveniunt toti, seu in quibus non exprimitur aliquid accidentale. Divisio vero *per accidens* est ea, quae fit in membra, in quibus exprimitur aliquid (aut ipsis aut toti) accidentale. Exempla divisionum hactenus allata continent omnia divisionem *per se*. Accipe nunc, si placet, exempla divisionum earumdem *per accidens*:

(1) Cfr. S. Th. I p. q. 85, a. 3. ad 2.^{um}; 7.^a *Metaphys.* lect. 13, parag. b.

Divisio actualis integralis *per accidens*: *tabula marmorea dividitur in partem albam, rubram, viridem* etc. pro varietate colorum, quibus distinguitur.

Diversa
genera divisionis
per accidens.

Divisio physica essentialis; *pars martyris ardet igni, pars charitate*: vel homo dividitur in partem, *quae movet*, et partem, *quae movetur*.

Divisio essentialis metaphysica: homo *dividitur in partem brutis communem et aliam non communem*; vel *in genus et differentiam*.

Divisio potentialis *per accidens* triplex esse potest: α) prima subjecti in accidentia: ut si animal *dividatur in domesticum et sylvestre; plumiferum et implume*; vel *homo in album, rufum* etc., *doctum* et *indoctum*: β) secunda est accidentis in subjecta; ut *alia est claritas solis, alia claritas lunae, alia, claritas stellarum* (1): γ) tertia, accidentis in accidentia: ut *album aliud est dulce, aliud amarum; motus alius est circularis, alius reclus, alius velox, alius tardus* (2).

Divisio
potentialis per
accidens
triplex est.

Notandum porro est, non omnem divisionem accidentis esse *accidentalem*. Etenim si accidens dividatur in membra de quibus per se praedicetur, vel quae per se sint ejus partes, divisio non erit accidentalis, sed per se: hoc pacto *color* dividitur in *album, rubrum, viridem*, etc.

Ad divisionem *per se* revocatur etiam divisio concreti accidentalis in subjectum et accidens (3). In hac tamen tanta divisionum varietate, frequentissima omnium est in scientiis potentialis.

Saepe etiam audies nomina Divisionis *univocae* atque *analogae*. Univoca autem est, cujus partes seu membra univocae participant rationem divisi, quemadmodum Petrus et Paulus participant *hominem*, et homo et brutum participant *animal*. Analoga est, cujus partes analogice dumtaxat participant rationem totius: qualis est divisio hominis in *vivum* et *picium*, veritatis in *formalem, transcendentalem* et *moralem*.

(1) S. Paulus. I. Cor. cap. 15, v. 41.

(2) Vide de his Fonseca. *Instit. dialect.*

(3) Cfr. Lossada ib. n. 9.